



Adnexus decreto diei 25 ianuarii 2019, Prot. N. 29/19

ADDITIONES IN LIBRIS LITURGICIS RITUS ROMANI DE MEMORIA AD LIBITUM SANCTI PAULI VI, PAPÆ

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

MAIUS

29 *S. Pauli VI, papæ*

IN MISSALE ROMANUM

Die 29 maii

S. Pauli VI, papæ

De Communi pastorum: pro papa.

COLLECTA

Deus, qui Ecclésiã tuã regendam
beãto Paulo papæ commisisti,
strénuo Fílii tui Evangéllii apóstolo,
præsta, quæsumus, ut, ab eius institútis illuminãti,
ad civílem amóris cultum in mundum dilatandum
tibi collaborãre valeãmus.
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIONUM MISSÆ

571a

Die 29 maii
S. Pauli VI,

papæ

De Communi pastorum [pro papa].

Lectio I **1 Cor 9**, 16-19. 22-23, n. 722, 4.

Ps. resp. **Ps 95 (96)**, 1-2a. 2b-3. 7-8a. 10, n. 721, 5.

Alleluia **Mc 1,17**, n. 723, 3.

Evang. **Mt 16**, 13-19, n. 724, 2.

IN LITURGIAM HORARUM

Die 29 maii

S. PAULI VI, PAPÆ

Ioannes Baptista Montini, die 26 mensis septembris anno 1897 in vico Concesio prope Brixiam natus est. Presbyteratu auctus die 29 mensis maii anno 1920, ministerium suum Apostolicæ Sedi præstitit, donec Archiepiscopus Mediolanensis nominatus est. Ad Petri cathedram evectus, die 21 mensis iunii anno 1963, feliciter Concilium Vaticanum secundum perfecit, instaurationem vitæ ecclesialis promovit, Liturgiæ præsertim, dialogum œcumenicum et nuntium Evangelii mundo recentioris ætatis. Die 6 mensis augusti anno 1978, Deo spiritum reddidit.

De Communi pastorum: pro papa.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homiliis sancti Pauli Sexti, papæ

(In ultima Concilii Oecumenici Vaticani secundi publica Sessione, die 7 decembris 1965: AAS 58 [1966] 53. 55-56. 58-59)

Opus est cognoscere hominem, ut cognoscatur Deus

Ope huius Concilii, doctrina theocêntrica ac theológica, uti aiunt, de humana natura ac de mundo ad se hominum mentes convertit, quasi eos provocans, qui illam a nostræ ætatis ratione alienam atque extraneam putent; atque talia sibi arrogat, quæ mundus primum quidem absurda iudicet, sed postea, ut fore confidimus, humana, sapientia ac salutaria ultro agnoscat: scilicet Deum esse. Utique Deus est; reapse existit; vivit; persona est; est providus, infinita bonitate præditus, et quidem bonus non solum in se, sed maximopere etiam erga nos; est noster Creator, nostra veritas, nostra felicitas; adeo ut homo, cum mentem et cor suum in Deo defigere nititur, contemplationi vacando, actum animi sui eliciat, qui omnium nobilissimus ac perfectissimus est habendus; actum dicimus, a quo nostris etiam temporibus innumeri humanæ navitatis campi suæ dignitatis gradum sumere possunt ac debent.

Verum enimvero Ecclesia, in Concilio collecta, suam considerationem summopere intendit – præterquam in semetipsam, atque in necessitudinem, qua cum Deo coniungitur – in hominem etiam, in

hóminem, sicuti reapse hoc tēpore se conspiciendum præbet: hóminem, dícimus, qui vivit; hóminem, qui sibimetípsi uni provehendo deditus est; hóminem, qui non modo sese dignum existimat, ad quem unum, véluti ad quoddam centrum, omne stúdiū conferátur, sed étiam affirmáre non verétur, se esse cuiúsvís rei princípium atque ratióem. Totus homo phænoménicus, suis innúmeris ánimi hábitibus indúctus, quibus in conspéctum venit, se Concílii Pátribus obiécit, qui et ipsi hómines, immo omnes Pastóres atque fratres sunt, inténta cura atque amánti caritatē præditi: homo, qui suas luctuósas fortúnas animóse conquéritur; homo, qui et prætérito et nostro hoc tēpore álios infra se pósitos existimat, ideóque semper fluxus atque fucátus, sui cúpidus et ferox est; homo sibi dísplicens, qui risus edit et lácrimas fundit; homo ad ómnia versátilis, ad quáslibet partes agéndas fácilis; homo in unam sciéntiæ pervestigatióem ácritér inténtus; homo, qui uti talis cógitat, amat, in labóribus desúdat, semper ad áliquíd ánimus advértit; homo, qui sacra quadam cum religióne est considerándus, ob suæ infántiæ innocéntiam, ob suæ inópiæ arcánus, ob pietátem, quam suæ ægritúdines movent; homo hinc sui ipsíus tantum studiósus, hinc societáti favens; homo simul *laudátor tēporis acti*, simul pósterum tempus præstólans, illúoque felícitus quam prætéritum sómnians; homo ex áltera parte crimínibus obnoxius, ex áltera sanctis móribus ornátus; et deinde deinceps. Humanitátis illud láicum atque profánus stúdiū, immáni qua est magnitúdine, tandem aliquándo pródiit, idémque ad certámen, ut ita dicámus, Concílium lacessívit. Relígio, id est cultus Dei, qui homo fieri vóluit, atque relígio – talis enim est aestimánda – id est cultus hóminis, qui fieri vult Deus, inter se congréssæ sunt. Quid tamen áccidit? Certámen, proélium, anáthema? Id sane habéri potúerat, sed plane non áccidit. Vetus illa de bono Samaritáno narrátio exéplum fuit atque norma, ad quam Concílii nostri spirituális rátio dirécta est. Etenim, imménsus quidam erga hómines amor Concílium pénitus pervásit. Perspéctæ et íterum considerátæ hóminum necessitatés, quæ eo molestiósas fiunt, quo magis huius terræ fílius crescit, totum nostræ huius Sýnodi stúdiū detinuérunt. Hanc saltem laudem Concílio tribúite, vos, nostra hac ætáte cultóres humanitátis, qui veritatés rerum natúram transcendéntes renúitis, iidémque novum nostrum humanitátis stúdiū agnóscite: nam nos étiam, immo nos præ céteris, hóminis sumus cultóres.

Quæ cum ita sint, faténdum revéra est, cathólicam religióem et humánam vitam inter se amíco foédere iungi, et utrámque simul conspiráre ad unum quoddam humánus bonum: religióem scílicet cathólicam pro humáno géneré esse, humaníque géneris esse quodámodo vitam.

Quodsi omnes, qui hic præséntes adéstis, memínimus in vultu cuiúsvís hóminis, máxime si lácrimis ac dolóribus efféctus est translúcidus, agnoscéndum esse vultum Christi, Fílii hóminis; ac si in vultu Christi agnoscéndus est vultus Patris cæléstis, secúndum illud: *Qui videt me, videt et Patrem*, modus noster res humánas aestimánda mutátur in Christianísmum, qui in Deum ut in médium totus dirígitur; ita ut rem hoc étiam modo enuntiáre possímus: scílicet opus esse cognóscere hóminem, ut cognoscátur Deus.

Amáre hóminem, dícimus, non ut instruméntum, sed ut primum véluti finem, quo ad suprénum finem, humánas res transcendéntem, perveniámus.

Responsorium

Cf. Phil 4,
8

R/. Quæcúmque sunt vera, pudíca, iusta, casta, amabília, bonæ famæ, *hæc cogitáte (T.P. allelúia).

V/. Si qua virtus et si qua laus, *hæc cogitáte (T.P. allelúia).

Oratio

Deus, qui Ecclésiā tuam regendam beāto Paulo papæ commisisti, strēnuo Fīlii tui Evangēlii apóstolo, præsta, quæsumus, ut, ab eius institútis illumināti, ad civílem amóris cultum in mundum dilatándum tibi collaboráre valeámus. Per Dóminum.

In Martyrologium Romanum, *die 29 maii, primo loco*:

Sancti Pauli papæ Sexti, qui, hac die presbyterātu auctus est, dein Archiepiscopus Mediolanēnsis, tandem Sedi Románæ eléctus, Concílium Œcuménicum Vaticanum Secúndum diligēter ac felíciter pértulit, renovationémque vitæ Ecclésiæ, sacræ præsertim Liturgíæ, promóvit, œcuménicum diálogum atque Evangēlii núntium homínibus huius ætátis curávit, donec die sexto augústi in pace Dómini obdormívit.
